

A. N. 65

20

DEBITÆ GRATITUDINIS

PIGNUS

VIRO ILLUSTRIS

THOMÆ

REINESIO,

ERVDITORVM NO-

STRÆ ÆTATIS FACILE

PRINCIPI

in.

REVOLUTO NOMINIS AUSPI-

CIO DIE XXI. DECEMBR.

M DC LXII.

OBLATUM

AB

INDEFESSO EJUS ADMIRATORE

FRIDERICO BRUMMERO.

LIPSIÆ

TTPIS VIDUÆ HENNINGI COLERI.



Zd
5590

8529502X



Uti quotidie est

præsenti, VIR Illustris, jam absenti ad TE erit adlocutio. Non quo coram proloqui, quæ hic leges, infans pudor prohibeat, (quantam enim mihi alacritatem conspectus tui jucunditas adferret!) verum quia hæc TIBI scripta potius esse, quam vento dicta velim. Quæ ut eadem, quâ me adventantem, fronte digneris, humili fidelique à TE prece contendo. Erit, in quo TIBI meus discendi ardor aliàs constabit; Pietatis hic res agitur. Proinde patere, si hujus non illius in præsentia specimen dedisse videar. Ecquod autem pietatis meæ incitamentum acrius hodierno die putem? Quem NOMINIS tui memoriâ insignem mihi & omnibus doctis ad diutius de republ. literaria sperandum quasi signum aliquod DEUS iterum sustulit. Effusius eò exultet animus, an sollicitius immortalibus tuis erga se meritis laudes quærat, exprimere non possum. Quamvis per alterum mea TIBI parvitas probari optatius habeat. Nam ut alias magnas & egregias tuas virtutes omittam, Tu nobis certè quoties aliquid abditum quærimus thesaurus es. Quid enim est, quod non statim scias? In TE, quem eximia ingenii laude Hispania exor-

exornat, CIACCONIUM vincimus; In TE Italiae
suae decus FULVIUM URSINUM aequamus; Ne sibi
placeat Gallia, SALMASII eruditionem tuam pen-
samus; TE uno, ne Anglia SELDENO, Batavia
MEURSIO suo insolentius se jactent, efficitur.
Ut mihi quidem videatur DEUS immortalis al-
tissimam hanc tuam eruditionem ad Germa-
niae totius ornamentum, exterorumque admi-
rationem quaedam consilii industriam contulisse.
Neque vero hac excellenti doctrina sine incre-
dibili humanitate potes esse contentus. Sicut
enim raram in multis tuae fortis fecit mixturam
cum humanitate eruditio, ita in tua, VIR Illu-
stris, eruditione nihil magis sibi locum, quam
humanitas vendicat. Et quantum mihi quidem
cernere datur, utraque in TE sic eminet & elucet,
ut haec illi plus dulcedinis, huic illa vicissim
plus majestatis acquirat. Obsecro quoties vi-
sendo tuam mihi explicuisti praesentiam! quo-
ties, ut ne mihi TE subtraheres, TE Tibi subtra-
ctum voluisti! quam nihil nisi comiter, nisi be-
nigniter, nisi ex VIRI humanissimi disciplina!
Si humanae vocis usum inanimatae natura in-
dulgeret, quid laudum in TE meum profun-
deret musaeum? quo plausu certaret? quod Tu
verè ἐμψυχον μεσοειον saepius tanta cum facilitate
ab angustiis ejus TE circumscribi concesseris.
Quam quidem humanitatem tueri TE

nullô modô meliùs, quàm ut novâ subinde
augeas, posse censes. Hinc non ad visendum
tantum, sed admittendum me quoque prom-
ptissimus, ut difficilem mihi alterutrius in TE
præstantiam utriusq; splendor & amplitudo
faciat. Quamquam cum imaginor hono-
rem ex tua visitandi humanitate largè in me
derivatũ, non procul est, quin ea mihi summa
persvadeatur. Cui enim non plus adpareat ha-
bere humanitatis & gratiæ, si subditum in do-
mo sua benevolè conveniat princeps, quàm
ei se conveniendum permittat in aula? Sed
largior hoc illis, quorum ingenia externus re-
rum color tantoperè advertit & adficit. Mihi
longè majoris pretii est humanitas, quâ salvô
pudore, & integrâ verecundiâ suâ tenuitas à
TE nostra, VIR summe, honestatur. Eam
ipsam intellige, quæ tot doctissimos homines
ad sui gustum, etsi paulò imperfectiorem,
evocat. Sæpenumerò enim & maximam
menti admirationem, & insatiabilem oculis
voluptatem parit adfluentia epistolarum, tu-
am è longinquis terris eruditionem sitien-
tiũ, ut in mercatura bonarum artium *μεγαλέμ-
πος* videaris. Hic quàm humanè tuis cum
emtoribus agas, argumento sit eorum nundi-
natio. Quæ tantò cum utiliore lucro est
conjuncta, quantò major tum in merce pro-
bitatis

bitatis, tūm in venditore æqvitat̃s laus est. TIBI namq; hanc gloriam Fata destinarunt, ut mercem tuam in hac mortalitate immortalitas commendaret, munificentia tua ei poneret pretium. Numerant hoc meritò in censu felicitatis suæ absentes. Nec soli tamen numerant. Dum nobis præsentibus hæc tua pariter obvia expositaq; est humanitas. Cujus, si cuiquam, mihi profectò fructus est uberissimus & jucundissimus. Quid enim illam quotidianā mei admisionem, illam raram eruditionis tuæ communicationem aliud esse dicam, nisi documenta VIRI abundè magnam humanitatis suæ copiam facientis? Non moror, comitatis tuæ lucē eandem absentibus, quam mihi apud TE quotidie, posse suboriri. Per me licet, liberaliorem erga se sermonibus suis usurpent. Solis eqvidem est ingenium plurimum caloris sui per maximam à terris distantiam mortalibus præbere. Tuæ verò humanitatis fulgor, tametsi in ipsis mirè quoque conspicuus, nostra tamen in obscuritate eò est augustior, quo propiorem TE nobis fortuna decernit. Neq; idcirco felicissimæ eorum honestissimæq; sententiæ in video. Quinimò *ἀνταρξείας* me speciem & pulchritudinem cum admiratione diligere confiteor, quæ bonum, quantumcumq; sibi obtigerit,

semper velut summum prædicat. Gaudeo saltem animo meo, qui quod in illis necessitatis, in se arbitrii esse, pari modo humanitate tuâ perfrui, cognovit. Etenim cum literatissimæ literæ tuæ semper me prius lectorem quàm ipsos, ad quos dantur, habeant: liberum utiq; erit amoenitates hæc epistolicas aut continuis, aut separatis obambulationibus experiri. Sic TE quotidiè cum HOFMANNO & RUPERTO colloquentem eruditi audiunt. Quod si fortè subita me quædam cupido capiat voluptatē hanc ex mora acuendi: nihil impediet, quò minùs delicias istas quotidianas mensuris, mensuras semestribus, semestres annuis commutem. Vide quid licentiæ tua mihi det humanitas, vel potius audaciæ! An quicquam pulchrius aut admirabilius ea possit excogitari? Obversatur jam oculis meis eorum conditio, qui olim domi oraculum Delphicum consultare poterant. Quis neget eos in auferendis responsis fortunatiores fuisse Atheniensibus & Lacedæmoniis? Quippe qui per longiores itinerum tractus ea demū ægrè, vel omninò non consequerentur. Quorum nescio quàm mirâ similitudine sortem exscribere videntur, qui TE humanæ sapiētiae quasi quoddam terrestre oraculum per literas cōsultant. Cogitanti enim occultis obnoxia periculis itinera,

nera,

nera, proclives ad negligentiam tabellarios, omne deniq; quicquid in via impeditenti & calamitatis pati epistolæ possunt, vix credibile erit eorum TIBI semper literas reddi. Et reddantur licet. Idem tuis responsis fatum impendet. Ut, quod ipsis inde nascitur, triste sit desiderium, cæca expectatio. Satis ergo mihi beatitudinis esto, in ea humanitatis tuæ parte, quæ ita delectat, ut nullâ temporum hominumve iniquitate delectatio ipsius rare-scat: ita prodest, ut ejus utilitatem fortuna non suspendat. Ecce pænè citius meas quæstiones enodas, quàm TIBI proponam. Nec stillantium guttularum, sed largiflui imbris more tua mihi responsa cadunt. Superfedebo jam loqui de vivæ vocis pondere atq; excellentia. Quæ plerumq; res altius animo, quàm ipsa lectio adfigit. Præsertim ubi tale lumē auditis, quæle per TE, Virorum Maxime, accenditur, ut seipsū aliquis præ istis dediscat. Prætereo, quantum mihi ad innumerabilia tua in me beneficia cumulus ex lectissima instructissimaq; bibliotheca tua accedat. Quâ tanquam annulô obsignatoriô literas quotidiè animo meo à TE inscriptas (ita sermones tuos omni elegantissimâ doctrinâ refertos adpello) custodis atq; confirmas. Hoc brevissimè dico, nihil habet nec eruditio tua majus, quàm ut
posit,

possit, ne humanitas tua meliùs, quàm ut ve-
lit mihi cunctisq; rei literariæ operantibus
ufui esse quàm plurimo. Longiùs me pro-
vexit svavitas hæc TE adloqvendi. Igitur
finem facturus DEO TER OPT. MAX. immor-
tales pro præsentis luce gratias ago. Ille TE,
inæstimabile seculi nostri bonum, futuris ejus
auspiciis & plurimis & felicissimis reservet! Ut
tempora nostra eruditione tuâ perpetuò ad-
ornes: ut literæ jam senescentes cum senio
tuo venerabili quotidiè magis reflorescant:
ut tantus labor tuus in grande illud INSCRI-
PTIONUM opus lucem brevi adspiciat! Me ve-
rò, quem ad peculiarem tuum favorem per-
tinere hæctenus satis abundèq; probasti, hunc
ampliùs ad præsidium studiorumq; meorum
decus sumere patiaris, neq; in hoc levidensi
observantiæ meæ munusculo aliquid adula-
tioni datum existimes. Redundavit pietas
mea. Quæ piaculum metuebat, si in susce-
pta hac adfandi TE provincia quanti sibi,
quanti universo literatorum agmini
pro merito æstimeris,
reticeret.

A. N. 65

Z d
5590

DEBITÆ GRATITUDINIS
PIGNUS

VIRO ILLUSTRIS

T H O

R E I N I

E R V D I T O R

S T R Æ Æ T A T

P R I N C

in

R E V O L U T O N O

C I O D I E X X I .

M D C I

O B L A T

A B

I N D E F E S S O E J U S

F R I D E R I C O B

L I P S

T T P I S V I D U Æ H E N

BIBLIOTHECA
PUNICKI



X2056258